

I. Quaestiones apertae.

P. Generalis interrogat, "ob überhaupt in bezug auf diesen Glaubenssatz gewisse Fragen, die in der Tradition noch nicht eindeutig beantwortet sind, gestellt werden dürfen und müssen, und welches diese "ragen sind."

Enumeramus ergo illas quaestiones quae relate ad maternitatem virginalem B.M.V. apertae esse putamus.

(1) Quo sensu testimonium historiae religionis de mythis nativitates miraculosas referentibus in doctrina theologica integrari possit.

His verbis non intendimus insinuare, doctrinam christianam de partu virginali in perspectiva istorum mythorum interpretandam esse, nam (A) enarratio evangelica tum Matthaei tum Lucae fontibus non hellenisticis sed israeliticis nititur, et ideo non a priori ex contextu hellenistico interpretanda est; (B) periti asserunt mythos illos valde differre a conceptu virginali sine interventu viri: (a) vel fecundationem mulieris a divinitate materialiter factam asserunt, (b) vel partum paternalem sine interventu mulieris enarrant.

Quaeri tamen potest, quo modo convenient et differant illi mythi a doctrina christiana, et quo modo illa similitudo (praesertim mythorum Americae meridionalis) theologice explicanda sit.

(2) Qualis sit relatio doctrinae christianae de partu virginali cum Antiquo Testamento.

Mt. (et fortasse Lc.?) interpretantur Is. 7, 14 in sensu partus virginalis; Lc. (secundum Laurentin) fortasse describit "ariam ut antitypum "virginis finliae Sion"; quaeri etiam potest, quo modo per spiritualitatem Essencorum verba Lc. 1, 34 facilius intelligi possint.

(3) Quo modo Novum Testamentum partum virginalem annuntiet.

Non quaerendum esse puto, an N.T. partum virginalem sine interventu viri factam annuntiet, sed:

(A) quibus fontibus nitantur Mt. et Lc. et quo modo fontes tales reconstrui possint; (B) quo modo notitia de partu virginali in contextu utriusque evangelii inseratur; (C) quo sensu adaptetur relatio de partu virginali secundum scopum singulorum evangelistarum; (D) utrum in Mt. habeatur intentio apologetica partum virginalem contra iudeos defendendi; (E) utrum intentio didactica principalis Mt. et Lc. relate ad enarrationem partus virginalis sit sapientialis vel historica; (F) qualis sit relatio narrationem partus virginalis et alios textus N.T. origine Iesu de eiusque genealogia; (G) utrum Lc. affirmare voluerit Mariam intentionem habuisse virginatem servandam; (H) quid dicendum sit de historicitate particularitatum quarundam, ex.gr. annuntiationis angelicae.

(4) Qualis sit sensus praedicationis constantis ecclesiae de partu virginali, non eo sensu ac si dubium esset ecclesiam affirmasse Christum sine interventu viri conceptum esse, sed relate ad quaedam particularia:

(A) utrum dici possit ecclesiam, haereses Cerinthi et ebionitarum refellendo, iam s. II interpretationem symbolicam partus virginalis reiecisit et historicitatem partus sine interventu viri affirmandam esse docuisse; (B) quid dicendum sit de valore illius evolutionis doctrinalis quae ex perpetua virginitate B.M.V. non tantum non tantum interventum viri excludendam esse agnovi sed etiam quasdam affirmationes biologicas deduxit, ex.gr. nativitatem utero clauso (problema Rahner-Galot).

(5) Quo sensu partum sine interventu viri factus Deus "nostrae salutis causa litteris sacris consignare voluerit" (DV, 11):

- (A) ut signum (non symbolum) originis transcendentis Iesu?
(B) ut doceat in opere salutis cooperativam humanam tum esse necessariam, tum in se penitus insufficientem esse? (interpretationes patristicae, quae mysterium istud sive cum figura Evae sive cum notione ecclesiae coniungunt, huic explicationi favere videntur). (C) Quo modo hoc mysterium cum ideali virginitatis exaltando cohaereat? (D) Quid tenendum sit de illis reflexionibus traditionalibus, quae absentiam peccati originalis in Iesu recurrendo ad absentiam seminis paterni expli-
cant?

II. De limitibus istarum quaestionum.

Istae quaestiones non ita intelligendae sunt, ac si factus conceptionis sine interventu viri in dubium poni posset.

(1) Discussiones circa declarationes P. Van Kilsdonk exortae monstrant necessitatem principia quaedam methodologiae dogmaticae in memoriam revocandi.

(A) Ex eo, quod non constat, utrum conceptio sine semine virili facta ad kerigma originale pertineat, vel etiam ex eo quod rationibus vere exegeticis fortasse non determinari possit, qualis fuerit intentio didactica hagiographorum, nequaquam sequitur hanc conceptionem in dubium revocari posse. Sunt enim plura dogmata, quae non tantum in kerigmate primitivo, sed et in S. Scriptura quidem inveniuntur: ex. gr. dogma assumptivum.

(B) Verus sensus revelationis (et praedicationis ecclesiae) non ita determinandus est, quod prius statuitur principium quoddam convenientiae, et ex hoc deducitur fides huic principio non contradicere posse [die Macht des Glaubens läßt erfahren "daß Gott nicht so fremd, nicht so unmenschlich mit seiner Schöpfung umgeht und daß die Schriften in ihrer spielerischen und singenden Darstellung dies auch niemals so gemeint haben"]. Hoc enim modo verbum Dei a tribunali rationis humanae iudicaretur. Potius ex verbo Dei in ecclesia interpretato deducendum est, quod Scriptura dicere intendat et quid Deo facere conveniat.

(C) Est methodice falsum, symbolice interpretari textus quosdam, ideo tantum, quia eius sensus proprius non placet. Quaestio, utrum textus qualiscunque sensu proprio vel symbolice interpretandus sit, resolvenda est ex analysi generis litterarii ipsius textus. Dicere quod documenta magisterii (ex. gr. verba episcoporum neerlandicorum, "so hat die Kirche immer verkündigt, daß Jesus Christus ohne Zutun eines Mannes geboren ist aus der Jungfrau Maria durch Übersichtung des Heiligen Geistes") nihil aliud docent sensu proprio nisi quod Iesus "ganz aus Gnade, ganz aus Gott" provenerit, absens est, quia illa documenta manifeste non ad genus litterarium mythicum vel poeticum pertinent.

(D) Quaestio, utrum aliqua affirmatio de fide divina et catholica credenda sit, non dependet unice ab eo, utrum definita sit ab aliquo concilio oecumenico, attestatiōe directa; nam, secundum Conc. Vat. I. "fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in Verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemnī iudicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur" (DS. 3011); quid autem in Verbo Dei contineatur, a magisterio Ecclesiae discendum est (Verbum Dei, 10).

(2) Conceptio Christi in virgine, sine interventu viri, miraculose, sub influxu Spiritus Sancti facta, a magisterio ordinario et universali ecclesiae tanquam divinitus revelata credenda proponitur, et ideo fide divina et catholica credenda est.

(A) Verba symbolorum "qui natus est ex Spiritu Sancto de Maria Virgine" in omnibus documentis quae exstant inde a s. II tali sensu intelliguntur, ita ut qui tenent (sicut Cerinthus) "Iesum fuisse Ioseph et Mariae filium similiter ut reliqui omnes homines" iam ab Irenaeo et ab omnibus scriptoribus sequentibus fidei catholicae contradicere iudicentur.

(B) Haec doctrina pertinet ad illas paucas de quibus consensus stricte universalis traditionis habetur: non enim constat ullum auctorem in unitate ecclesiae manentem aliter sensisse.

(C) Hic consensus non ignorat difficultatem affirmationis: ex gr. commentando 1 Cor. 2, 14 exaetate mediaevalis saepe affirmant homines animales i. e. sine Spiritu Dei cogitantes hanc veritatem ut impossibilem deridere, sicut derident immortalitatem animae et resurrectionem finalem.

(D) Traditio ecclesiae hanc affirmationem non reputat factum quoddam historiae profanae (ut ex gr. notitiam de bellis regum asyriorum etc.): etenim (a) sensus populi christiano conceptionem Christi per commercium sexuelle factum blasphemiam perfidam esse indicabat (inde ab Ambrosio; cf. Deas. sub nomine Bixicii n. 91); (b) testimonium liturgiae virginitatem affirmat, non sensu quodam poetico et metaphoricis, sed "biologico", tum propter modum loquendi textuum liturgicorum ("intemerata virginitas", "procedens homo sine semine", "virginitatis gloria permanente", etc.) tum propter homilias Patrum eiusdem temporis qui tali sensu obiectum cultus liturgici explicabant.

(3) Ideo verba episcoporum nerlandicorum, sensu litterali intelligenda, fides catholicae explicant: "So hat die Kirche immer verkündigt, daß Jesus Christus ohne Zutun eines Mannes geboren ist, aus der Jungfrau Marie, durch Überschatung des Heiligen Geistes."

III. Difficultas hodiernae mentalitatis contra partum virginalem sensu litterali intelligendum

P. Generalis interrogat, "welches sind die echten Schwierigkeiten, die das Ringen des heutigen Christen um ein vertieftes Glaubensverständnis mit dem Satz von der Jungfräulichkeit Marias und der jungfräulichen Empfängnis und Geburt Jesu allenfalls empfindet".

(1) Illi qui virginitatem non plura aestimant, quam status matrimoniales, evidenter non intelligere possunt, cur Salvator a virgine nasci voluerit.

Haec difficultas non potest impellere theologum ad tolerandam doctrinam Patris Van Kildonk; est enim dogma ecclesiae, "status conjugalem non anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio" (23. 1910).

(2) Difficultas maior et magis actualis est, quod diffunditur persuasio secundum quam (A) ad fidem non pertinet ut de obiecto aliquo extra credentem posito aliquid affirmetur (ex gr. ut dicatur eventum aliquem in tempore transacto re vera accidisse); (B) fides est mere eventus actualis et personalis ipsius credentis, sine ulla relatione intentionali ad obiecta externa; (C) historicitas revelationis non est alia quam historicitas existentiae personalis credentis; (D) est error quaedam interpretatio, quae

"magnalia Dei" in historias obiectivas proficit; (E) enarrationes de interventibus categorialibus divinis, ordinem naturalem mutantibus, profundius et plenius sensu non-litterali intelligendae sunt.

Ad hanc difficultatem notandum est, illam aequo modo valere etiam (A) de incarnatione Verbi sensu Chalcedonensi intellecta, (B) de morte piaculari seu satisfactoria Christi, (C) de "factis paschali-bus" (sepulchrum vacuum, apparitiones), (D) de ascensione, (E) de par-tia eschatologica. De facto, ista "facta salutaria" (Heilstatsachen) in theologia protestante, inde a s. XIX exeunte, simul iisdem princi-piis ut facta obiectiva historica sive negantur sive defendantur; ipse Bultmann explicita aequiparat indolem mythologicam partus virginalis et factorum paschalium.

Praecise propter hanc rationem, si Christus ex gratia Dei quidem, sed ex commercio sexuali normali (ex semine virili) conceptus esse affir-matur, tunc ex connexione ipsius systematis omnia alia facta salutaria historicitate obiectiva logice privanda sunt.

Ex his patet partum virginales Christi, licet non pertineant ad veritates centrales praedicationis ecclesiae, tamen, non esse aequiparandum doctri-nae de partu "utero clauso" facto et aliis huiusmodi, de quibus libere dis-putari potest.

Ad finem notamus, totum hoc problema minus apte describi ut "problema de in-terpretatione biologica vel non-biologica virginitatis Mariae". Non enim quaeritur de solo biologico, quo conceptio et partus Christi evenerint; sed quaeritur tantum, utrum conceptio Christi ex semine virili fieri potuerit, vel ex miraculoso interventu Dei sine interventu viri facta esse credenda sit. Ideo totum problema melius diceretur quaestio de interpretatione mythica vel historica conceptionis virginalis Christi.